

X. CEPHALEUROS. Kunz. in litt.

CHAR. Flocci fertiles erecti, simplices, non septati, apice demum clavato peridiola plura subterminalia proferentes. Sporidia discreta.

Obs. Ex omnibus generibus Mucorinis hoc inter primam et secundam seriem medium maxime insigne mihi videtur, minus ob fructificationem, quam ob indolem vegetationis recedentem. Caespites sistit in foliis coriaceis perennibus vivis determinatos, saepe radiantes, e floccis decumbentibus septatis contextos, colore viridi canescente. Hic color non est smaragdinus, aeruginosus vel olivaceus Fungorum, sed laetus Algarum. Est itaque in hoc ordine recedens, ut inter Lichenes Fungosque amphibola *Strigula*, loco conveniens. Species videntur numerosae in tropicis; variarum vidimus rudimenta, etiam corticolae (forsitan *Dictyonema* Ag. Syst. Alg. p. XXVI. Mycelium sterile), sed perfecte fructiferas hoc loco tantum recepimus. Nomen a κεφαλη et ευρος derivavit Auctor.

1. *C. virescens*, caespitibus laxis effusis, peridiolis ovatis. — Kunz.! in Weig. Surin. exs.

Maculae primo subrotundae, ad 4 lin. usque dilatatae, floccis adpressis radiantibus adplanatae, passim confluentes magis irregulares. Flocci fertiles nudo oculo vix discernuntur, sub lente capitulo albo terminati videntur. Sub microscopio characteres supra indicatos monstrat. — Specimina a me visa epigena sunt; in Sched. l. c. addita hypogena dicuntur. In foliis plantarum Gujanensium semper-virentium (*Ecastophylli* Rich.?) (v. s.)

2. *C. densus*, caespitibus densis pulvinatis, peridiolis ovato-globosis. — Kunz.!

Maculae hujus magis byssinae, etiam duplo minores (1—2 lin. latae); floccis haud ita adpressis et radiantibus, sed undique divergentibus, unde caespites densiores et pulvinati. Color e virescenti

canus. Sporidia in utraque specie minuta, globosa. *Surinami in pagina superiori foliorum Chrysobalani Icaco lectum.* (v. s.)

XI. AËROPHYTON. Eschw.

Sylog. Fl. Ratisb. 1. p. 163. t. 1. f. 1.

CHAR. Flocci coenotocii, articulati, apice clavati; clavulis peridiola subrotunda adhaerentia gerentibus. Sporidia minutissima.

Obs. Incipit novam seriem floccis apice sterilibus, peridiolis ad latera enatis. Ceterum vero tam vegetatione epiphylla, quam fructificatione cum *Cephaleuro* eximie convenit, *Aspergillus* in summa dignitate. Flocci steriles (s. mycelium) obsolete septata, in pelliculam tenuissimam confluentes; horum unione oriuntur flocci fertiles, in specie cognita ramosi. „Nomen genericum plantae nostrae imprimis adaptatum censebatur, quippe quae folio leniter adhaerens ejusdem quasi effluvia vel spiritum exhalantem referret. *Eschweil.*

I. AËROPHYTON. Principis. l. c.

Fungus aspectu tenerrimus, sed persistens et nudo oculo jam arbusculi imaginem praebens, 3 lin. altus; marcescens, funiculi adinstar collabens. Flocci candidi, apice ut plurimum steriles, ramis inordinatis fertilibus, articulis diametro floccorum bis ter longioribus. — Memorabiles insuper sunt flocculi, ut visum est, parasitici, non septati matricis duplo tenuiores ejusdemque ramos circumvolventes, contorquentes, immo quod in alio specimine observavit *Eschweil.*, summos ramos versus folium trahentes, quo ulteriorem evolutionem et fructificationem aperte cohibent. Sunt hi, meo sensu, potius anamorphosis ad mycelium regressiva. *In foliis Cassiae Brasiliensis.* (v. s. ab *Eschweil.* comm.)